

Epithalamion de
nyptiis ...
Gvilhelmi a Rosis
&c. gubernatoris
domus Rosebe...



National Library
of Sweden

EPITHALAMION
DE NVPTIIS IL-
LVSTRISSIMI PRINCIPIS
DOMINI DOMINI GVILHELMI A ROSIS
&c. Gubernatoris Domus Rosebergensis totiusque re-
gni Bohemiæ Summi Burgrauij &c. necnon
S. R. M. ab intimis consilijs &c. Ce-
lebrantis easdem nuptias
27. Ianuarij

Anno M. D. LXXVIII.

CVM ILLVSTRISSIMA
Principe ANNA MARIA Marchiona Badensi &c. Filia
Illustrissimi Principis Philiberti Marchionis Baden-
sis ac Comitis in in Spanheim &c.

S C R I P T V M

*Ab aliquot cultoribus pœtices in Aca-
demia Pragensi.*

Versus vsurpati ab Imperatore
Marcellino.

*Vs cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo Corpore truncus habet:
Sic reliqui mores sperari, sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitia.*

PRAGAE.

In Officina Georgii Nigrini.

Clarissimo viro, pietate, doctrina & virtute prestantissimo
Domino Paulo Pysio Sacrae Theologiae Doctori, Me-
sae amico atq; familiari charissimo Petrus (Codicibus)

INSIGNIA DOMVS
ROSEBERGIAE.



CLARA Rosenberga, rosa ceu, Domus inlyta fulget,
 Ex Vrſinorum ſtirpe creata Ducum.
 Nobilitas eius de ſtyrpibus orta Quiritum,
 Traxit ab Auſonio nomina clara ſolo.
 Heros Vilhelmus Praga Purgrauius alma,
 Petrus VVok armis confilioqꝫ potens.
 Horum quis referat virtutes, ſtrenua geſta?
 Vilhelmi mentem magnanimuqꝫ decus?
 Eſt ſapiens, largus, clemens, ſacundus & aqꝫus
 Gloria Boiemi magna decusqꝫ ſoli.
 Tu DEVS, Hero a patria qui dasqꝫ ſouesqꝫ,
 Cerne Rosenbergam, conſtabiliqꝫ Domum,
 Dirige Purgrauium Vilhelmum, protege Petrum,
 Boiemi ſerua ſceptra, decusqꝫ ſoli.

Petrus Codicillus.

EPITHALAMION.

QUID nouus hic plausus? quid surgit ad æthera clan-
Tympana cur, faciles cur sonuere lyræ? (goræ
Quid citharæ mulcent varijs concentibus auras?
Quid paribus resonat tibia dextra modis?
Multaua cur gestis? clarus quid nunciat æther?
Cur faciles horas blandior aura facit?
Quorsum amor, & charites? quò lætum ducitis agmen?
Vnanimi plausu, lætificoq; gradu?
Hic, vilhelmè, tuis, Heros fluit, inclyte ceptis
Annus, agitq; oriens gaudia mille dies.
Læta Rosenbergæ domui se protulit Eos,
Cum populus thalamo plaudit, ouatq; tuo.
Ordo triplex Regni lætus, sic fata gubernant,
Plebis amorq; tibi iubila læta canit.
Post obitum patris, variæ qui sortis habenas
Pertulit, vt regni stet, maneatq; decus:
Ordo duos gnatos generoso sanguine cretos,
Qui regat, optabat, lege manuq; domum.
Tu senior meditans curas artesq; regendi
Iura resumebas, iusticiæq; decus.
Ergo mihi restat, cum sim maturior æuo,
Ante meum fratrem cura laborq; demus.
Te genitor, postquam deflemus morte peremptum,
Post obitum cœli quem tenet aula nitens:
Quæ mihi fors fati? series quæ, & meta laborum?
Hic quoniam pacis nil, nisi nomen, adest.
Res velut Euripus refluunt momentaq; rerum,
Cuncta suas repetunt, destituuntq; vices.

Est sine curarum morfu transacta iuuentus,
Hæc alios mores vita grauesq; petit.
Mox veniet celeri cursu consulta senectus,
Eripietq; meos vineta labore iocos.
Quis scit, an & patriæ virtus me poscit honosq;?
Qui patriæ prodest nomina clara feret.
Quid ferat, incertum est, Phœbus surgensq; cadensq;,
Nescia mens hominum, quid ferat hora sequens.
Numen at imperium donat, superanda ferendo,
Et simul audendo fors sua cuiq; manet.
Qui sapit, ille Deo supplex confidit, & orat,
Donet vt euentum, flamina detq; rati.
Simihi defuerint vires, est prompta voluntas,
Officij faciat quæ pia cepta sui.
Tu modo, summe DEVS, fer opem, mea cæpta gubernas,
In pelago mundi te duce tutus ero.
Hoc pater & patruus, proaui vestigia monstrant,
Quos tulit Vrsinæ prisca propago domus.
Forssitan & olim vitæ mihi leniet æuum
Coniuge vita carens, cura trahensq; diem.
Quicquid erit tandem, tibi me patriæq; rependo,
Fallitur haud, mandat qui sua vota DEO.
Mensat id, in trino quæ semper numine viuit,
Non tulit humanas res bonitate fouens.
Sed fociam vitæ, lenimen dulceq; curis
Diligit Heroi, connubioq; dicat.
Protinus ardet amans, nymphæq; ex pluribus vni,
Anna Maria, tibi, sponte placere studet.
Coniuge te secum vitæ traducere tempus
Expetit, ac roseum multiplicare genus.

Est iter

Est iter excelsam claræ virtutis ab arcem,
Quæ tribuit magnis nomina magna viris.
Arcius est aditu, sese mox tramite lato
Porrigit ostendens clara trophæa viris.
Inclytus hoc carpsit dum longis passibus heros,
Gesta sui generis laude repleta sequens:
Huic simulata Deam blandorum mater amorum,
Obuia facta latens nubeq; verba facit:
Quid dubitas, iuuenis, clarorum nate parentum,
Dum licet, optato lætus amore frui.
Est amor asimilis vitæ, cordisq; voluptas,
Blanditijs mundi tota theatra replens.
Ille suo nexu sociat, solatur, & auget.
Oceanus, cœlum, terraq; quicquid habet.
Est mihi suaueolens numerosis floribus hortus,
Quem Zephyro genius flamina dante colit.
Quicquid Atlantiadum, quicquid Phœacia tellus,
Quæ vel in assyrio rura tulere solo:
Cuncta simul profert: nullo cultoreq; crescit
Alma Ceres, fructus quælibet arbor habet.
Labitur in medio decurrens nectare riuus,
Ambrosiam ripe seruat vtrumq; latus.
Nec liquor hic Bacchj defit, quin præripit vsum
Prorsus aquæ, Zyti rarus & vsus adest.
Hic iocus, & risus errant, iurgantur amantes,
Est amor arboribus graminibusq; suus.
Connubio Palmam videas se iungere cedro,
Et cerasis, Thysben quæ colit alta, morum.
Mirificis vinctæ crescunt amplexibus herbæ,
Læta thymus cunila, marrubioque stachys.

Per noua se blandi diffundunt gramina rifus,
Mista nitent pulchris lilia rubra rofis.
Quin & aues pafsim fufultant, carmina promunt,
Lufibus, obfequijs gaudia quæq; trahunt.
Hic mea fe latis extendit regia campis,
Cafta cupido meus militiamque tenet.
Hoc duce mille leues alij fpaciantur amores,
Qui vaga, fraude, dolo corda ligare folent:
Ocia feftantes, face, pennis fæpe moleftant,
Aurea nunc, rurfus plumbea tela volant.
Læta mihi nimium multis optata voluptas
Eft comes, huic luxus, longa quiesque placet.
Nulla licetque diu duret, fugiatque laborem,
Pauperiem tamen hæc trifticiemque leuat
Libera quæfito ducit conuiuia luxu,
Depellit fenium, dat fine nube dies.
Te mihi coniungas, Heros: quid in ardua tendis
Munia? quid dubium quæris honore decus?
Eft onus omnis honos, laus omnis mole laborat,
Curia fert curas, aula pericla parit.
Fœlix, qui pofitis inglorius ocia curis,
Ac agit optato lætus amore dies.
Me duce percipies nullas in pectore curas,
Præpediet fomnos nulla querela tuos.
Non fonitus belli triftem, ftrepitusque forenfis
Te, nec hyems faciet, membra grauansque calor.
Aft aderunt blandi lufus opfonia vitæ,
Ludicra mifta iocis, ocia, cantus, amor.
Quin etiam, tecum blando quæ nympha fufurro
Mifceat amplexus, me tribuente feres.

Es prius

Es prius expertus thalami duo vincla iugalis,
Cuius lege ferunt durius esse nihil.
Vulgus ait, raro fiunt connubia fausta,
Dum thalamum sponsi tertia sponsa petit.
Huc ades, haud tituba, decerpito gaudia vitæ,
Dum licet, ætatis sit tibi cura tuæ.
Talia iactabat læto Venus aurea vultu,
Corde tegens vafri facta maligna doli.
Nil minus est Heros almæ virtutis ad ædes
Impiger, incepit quod prius, vrget iter.
Quamlibet à tergo repetentem dicta priora
Audiat, hanc surda præterit aure tamen.
Sic quoties furiunt motus in corde calentes,
Et, licitum præter, deteriora petunt:
Reprimit hos constans meditando recta voluntas,
Indole virtutis corde gerensque decus.
Sed generata DEO pietas, quæ cœpta piorum
Conuitijsque carens intemerata regit:
Non tulit hanc fraudem, sed te, Vilhelme, benigne
Erigit, hoc reprimens, dicta inimica sono:
Egregiam verò, quam iactas, improba, laudem
Inuisi fertis tuque puerque DEO.
Degenerem mundum sceleratis moribus imple,
Ac ob id infamis dignaque morte manes.
Esque odiosa bonis, probro damnoque scelestis,
Cum bona promittas, das mala, recta premis.
Nam tibi quod regnum fingis? quæ regia restat?
Serua manens vitij pauper inersque iaces?
Non honor ignauæ tibi, non reuerentia curæ est,
Pernicies, error, teque tuosque regit.

Relligio

Relligio fœdis squalescens exulat aris,
Nil faciunt cœtus fasque piùmque tui.
Cuncta replet tumido vesana superbia fastu,
Mistaq; disidijs iurgia sæua mouet.
Quæ gens? quæ regio? quæ res est publica? cui non
Damna tuo suafu tetra libido ferat?
Oppida cum regnis labuntur, templa, scolæque,
Publica res luxu cum miseranda perit.
Non ita, nec Syrtes, neque fulmen, turbo nec, æstu
Nec furit irati sœua procella maris:
Sola mali quantum semper mortalibus ægris
Cum grauibus morbis iuncta libido facit.
Ac, tibi qui comites? quæ te, regina, salutat
Pompa? quibus morbis fœdaque turba frequens?
Nempe ioci, risus stolidi, turpisque cupido,
Ad scelus audaces efficiensque furor.
Sunt duo consulti leuitas, demensque voluptas,
Illaque periuros, hæc reprobosque facit.
Cætera spectato regni ornamenta scelesti,
Iura libido tuis pro ratione gerit.
Ad latus assistit peruersa calumnia læuum,
Ebrietas dextro stat resupina loco.
Pone venit futilis vanis iactantia verbis,
Magna crepans falsò, semper & alta petens.
Indè scatent rixæ, periuria, furta, rapinæ,
Assiduus pænæque opprobrijsque metus.
Et tibi cur audes, incoësta assumere coëstum;
Quæ simul vnanimis nectat amore duos?
Improba, legitimi non tu connubia lecti,
Ast ego diuina sedulitate ligo.

Me duce

Me duce verus amor mentes & pectora necit,
Quem probat, & summi numinis aura fouet.
Floret honos mecum, mens & sibi conscia recti,
Legitimi crescunt pignora chara thori.
Hæc hominum sequitur plausus, vitæq; pudicæ
Gloria, quam leges sancta que iura probant.
Sed mea te spectant, heros clarissime, verba,
Familiæ ductor, spes generisq; tui:
Da mihi te facilem, velut antea sæpe dedisti,
Ad vitam pietas vtile pandit iter.
Sperne voluptatem, spurcas è pectore flammæ
Expue: sincerus, discito, quid sit amor.
Qui, quod amat, nouit, fruitur securus amore,
Qui, quod amat, nescit, cuncta timenda putat.
Est amor exuberans animi benè flamma volentis,
Cordis in extremo numine sparsa sinu.
Noticiæ simulacra cient, ea mente probante
Pectora mellifluo læta calore fouent.
Is calor ex adyto cordis respirat amorem,
Qui placitam iungi rem sibi sponte cupit.
Pulchra mouent sensus, bona flectunt omnia mentem,
Hinc oriens, crescit non simulatus amor.
Spiritibus blandis cor se diducit, & halans
Carpitur, & quæuis mox in amata ruit.
Noticiam verò puram de mente voluntas
Si tulit, vt flammam dulcis amoris alat:
Spes quoq; fert placidos motus, curamq; salutis,
Vt duo sint vnum, solus & vnus homo.
Hinc manet ambicio seruandi ac ardor amantem,
Vt socium vita plus amet ille sua.

B

Hanc

Hanc Deus humano succendit pectore flammam
Instituens casti fœdera sancta thori.
Cum duo corporibus comunxit corda duobus,
Vna sit amborum mens vt, & vnus amor.
Pura Deus mens est, vult pura mente vocari,
Improbat incestum, coniugiumq; probat.
Furta vagæ Veneris punit, nec cælibe vita
Gaudet, hians luxu quæ scelus intus alit.
Ergo tibi sancti sit maior cura pudoris,
Coniugij qualem regula certa probat.
Ille Deo gratus, vero hunc ardore sequuntur,
Quos pietas Christo relligioq; ligat.
Dicitur & Christi coniunx Ecclesia, vero
Hanc is, ceu sponsam sponsus amore colit.
Tu quoq; magnificis, Vilhelme, parentibus orte,
Coniugij casti vincula sancta proba.
Elige, chare Deo, puri confortia lecti,
Et sociam vitæ, mater vt esse queat.
Ipse Deus vobis aderit, tua cœpta iuuabit,
In thalamos veniet virgo petita tuos.
Talia cum pietas Heroi prouida dictat,
Ardua mens cœlo prodita, iussa capit.
Numinis auspicio sese commendat, & offert,
Solus is orantum vota secunda facit.
Concipit arcano latitantem pectore flammam,
Quodq; sciens tacita mente, requirit, amet.
Lætior optatæ iam gestit imagine sponsæ,
Hanc cupit, & placitam poscit a desse sibi.
Quodq; petit, nec habet, mandat sua vota tonanti,
Mente leuans cordis vulnera facta sui.

Sic

Sic vbi Crumlouijs in saltibus hinnulus errat,
Cui ferijt dextrum fixa sagitta latus:
Ingemit, & currens per deuia lustra locosq;
Herbæ Dictææ quærit odore comam.
Deuorat inuentam, succo purganteq; telum
Eijcit, ac medicam fert sibi cautus opem.
Hinc stabili constans manet hæc sententia menti,
Ut vitam ducta coniuge castus agat.
Tum præeunte Deo se mox occasio monstrat,
Consilio robur quæ data sæpe facit.
Irrepit arcanè virtus & clavis amoris,
Vnanimi nexu pectora bina ligans.
Viderat vt, flammis sensit redamatus amantis,
Ac tacitè dixit: tu mihi sola places.
Tu quoq; quæ? quoties mittis suspiria, Princeps
Anna, Rosenberga stant vbi tecta domus?
Anxia vel vultus, vel res meditaris amantis,
Solliciti replet corda timoris amor.
Abdita res sed amor, tacito ferit igne medullas,
Mellifluo fati concipiturq; sinu.
Ille duo vincit diuino corda vigore,
Leniter vt vita sospite fata ferant.
Non homo, sed certum firmat connubia fatum,
Crescat vt humanum, numine dante, genus.
Ast mihi si linguæ centum sint oraq; centum,
Coniugij fructus vix numerare queam.
Nunc mihi fas nuper sit promptos edere versus,
Carolei fontis quos pia Musa dedit:
Dum tibi gratatur tædas, Vilhelme, iugales,
Et sponso ac sponsæ fata benigna petit.

Tempus

Tempus erat, mediæ quo spirant flamina brumæ,
Et iâciunt cauri rura per alta niues:
Auricomus cyclum quo Phæbus deferit arctum,
Incipit & nobis longior ire dies:
Iam maris Halcyone tumidum sedauerat æquor,
Præsepe occiduas mane subibat aquas:
Nuncia vulgantur, volat omnes fama per arces,
Vilhelmo Princeps sponsa quod Anna datur.
Patria tum celebrem sponsis indicit honorem,
Coniugio populus gaudet ouatque nouo.
Ordo triplex Regni vario dat iubila plausu,
Ac aliquot peragit lætus honore dies.
Clara Rosenbergæ veterum domus alta parentum,
Stirpe Vrsinorum progenerata Ducum:
Exhibet exultans lætam se, seruit honori,
Bauariæ affinis, nempe, futura Duci.
Crumlouiæ aulæis splendentibus atria fulgent,
Quolibet ac redolent balsama thusque solo.
Læticia vulgus voces ad fidera iactant,
Obuia plebs sponsæ compitalata replet.
Gaudet equis vnâ gradiens heroica pubes,
Mirifico sponsi gestit honore sui,
Agmen agit procerum Felix insigne Bohuslaus,
Quem genuit regno Lobcouicena domus.
Hunc iuuat Henricus præstans Valdsteynius Heros,
Miczani fratres consilioque pares.
Nobilium ducit Burganus Terczka phalanges,
Heroës fratres pone sequuntur eum.
Tuque gerens, Vchynsky, præclaros, Iane, triumphos,
A VVrzefouic Vaczlaus quem comitatur ouans:
Deligis

Deligis heroum florem hasta, animo que potentum,
Adsit ut ordo suo, qui regit acta, loco.
Obuius his uetat Badensis Marchio sponsam,
Eius cognatos Bauariæque Duces.
Est locus in ripa sinuantis cornua Muldæ,
Quæ uagus ortiuis sol iuga necit equis:
Praga ferax uitis, fecundo florida campo,
Collibus è septem subdita rura uidens:
Illius in medio fons est, hunc ambit, & ornat
Ardua Musarum Pieridumque domus.
Riuulus hinc cunctas hurnectat in vrbe plateas,
Præbet & ægrotis pharmaca grata uiris.
Cum socijs illic Sophiæ mysteria scrutans
Dum Carolina sedet nympa legitque rosas:
Ut uolucrum regi, patriæ, fuluoque leoni,
Austriacis Ducibus ferta decora parat:
Audit ubi plausus, læto rumoreque famam,
Prouocat his Echo per caua saxa sonis.
Munera sunt pacis quouis præstantia bello
Pax fouet, at ciues horrida bella necant:
Hinc alij referant incerti prælia Martis,
Pacis opus nobis nobile carmen erit.
Ac tibi, summe Deus, pacis dator, autor, amator,
Gratia sit, patriam pax quia sancta fouet.
Exiguos cœtus Musarum, templa scholasque
Quod regis, aseruas noticiamque, tui.
Ergo canam laudes Herois, pectore toto,
Qui colit Aonias, numen amatque, Deas.
Grata Deo pietas, Heroeque digna potenti,
Ferre thori casti connubiale iugum.

Id facit illustris Vilhelmus & inclytus heros,
In cuius thalamos Anna Maria venit.
Ad thalamos eius, Musæ, depromite carmen,
Ut sponso & sponsæ fama perennis eat.
Carmine fama manet perpes, fit viuida virtus,
Hoc decus heroum, factaꝫ; clara vigent.
Vtreuocat lumen fulgenti luce diurnum,
Exuperans stellas, lucifer ante diem:
Eminet in cana ceu ros gratisimus herba,
Qui decori est agris, graminibusꝫ; nouis:
Inclytus, & Patriæ Vilhelmus gloria terræ,
Sic proceres ornat vultu habituꝫ; suos.
In populos veniens plausu gratante resultat,
Vocibus & votis excipiturꝫ; pijs.
Fronte decus generis clara uirtute relucet,
Est facies, animus, mens grauitatis amans.
Agglomerat frater sese illi, sidera Ledaæ
Motibus alternis ceu sibi iuncta micant.
Hos præit effulgens læto elementia vultu,
Ac sequitur iuris fida ministra Themis.
Talis erat victor populi generosus Iberi,
Qui affectus proprios vincere suctus erat.
Testis adest forma præstans Luceia virgo,
Quam sponso intactam reddidit ille suo.
Conuenit heroi, simul vt mentemꝫ; manusꝫ;
Contineat, prudens vt ne aliena petat.
Temporis ast autor, vitam qui donat & annos.
Hos patriæ & regno sorte fauente regat.
Nunc iuuat & sponsæ laudes celebrare decentes,
Corporis, ingenij dotibus illa nitet.

Efficit

Efficit illustrem splendor generisq; domusq;
Marchia Badensis Bauariæq; duces.
Candida ceu splendet roseis aurora quadrigis,
Liquit vbi veris tempore blanda thorum;
Enicat Eoo conscendens cardine cœlum,
Contuitu humanum cor oculosq; mouens:
Sic habitu, facie, virtutibus, indole, gestu,
Virgineo decori est Anna Maria gregi.
Huic pietas animum, virtus regit optima vitam,
Et fauet ingenijs Pieridumq; choro.
Quam benè iunguntur: Felix hac virgine sponsus,
Felix hoc virgo coniuge semper erit.
Vos etenim par necit amor, mens vna duobus
Insidet, affectus par, studiumq; boni.
Patria festiuum vobis gratatur honorem,
Postulat & vestro pignora chara thoro.
Sig igitur sospes nostro, sponse inclyte, plausu,
Salua sit in longos inclyta sponsa dies.
Hospitium speretis quòd das hoc tempore Musis,
Quo Prorex Regno numine dante præes.
Nestoreos tecum coniunx feliciter annos
Transigat, vt speras, te faciatq; patrem.
Vnanimi iungat pia vos concordia nexu,
Hinc populi vestri cunctaq; læta ferant.
Dum benè succedit Domino, plebs illius agris
Ditior officij munia læta subit.
Est cœleste bonum clemens herus, amplior illi
Sors viget, at nunquam vis diuturna fuit,
Sic Carolina ciens carmen iactabat ad auras,
Mellifluos Echo tunc repetente sonos.

Hoc ego descripsi modulans, Musisq; dicaui,
 Connubij vt crescat gloria, sponse, tui.
Ac mihi fas vtinam studij foret edere fructus,
 Quos legit Aonijs nostra Thalia iugis:
Hi volo te celebrent, claris virtutibus Heros,
 Tu placide cæptis annue, quæso, meis.

*M. Petrus Codicillus &c. Prepositus.
Collegij Angelici Omn: sanct: &c.*

ALI V D.

Clara fuit semper celebrisq; **DOMVS ROSEBERGA**,
 Nunc quoq; connubio clarior aucta nouo est.
Stirpe patrum, titulo, virtuteq; gloria, honore
 Principibus compar diuitijsq; nitet.
Aurea tu vestri generis, **GVILHELME**, columna,
 Robur & es patrij nominis eximium.
Multiplici illustres Heroas vincis honore,
 Clarorum eximius semper vbiq; virum.
Ne intereant igitur stirpis tantæ monumenta,
 Spesq; relicta tuæ possit vt esse **DOMVS**.
Ipse tuis **CHRISTVS**, posco, sponsalibus inquit,
 Coniungium possis fausto vt inire pede.
Vt sponsus Sponsam sponsali cernere lecto,
 Lætus & hinc vitæ gaudia ferre queas.
Spiritus alme veni: tædas accende iugales,
 Nexus iunge duum, tu Paranymphe, facer.
Sponsis namq; fauet **CHRISTI** præsentia nostris,
 Sancta Trias illos copulat igne suo.
Ergo **DEVS** thalamis quorum benedicit abunde,
 Horum dat castus pignora clara thorus

Inde

Indè propago **DOMVS** succrescet. multa **ROSENSIS**,
Vt genus æternæ stet sine fine **ROSAE**.

EXCLAMATIO CVM IV-
BILOSA PRECATIONE.

Quis rumor passim nunc hîc per compita fertur?
In triuijs populo Tympana quid uè sonant?
Clangor qui di è tubæ multorum transit in aures?
Vel sibi tam splendens quid comitatus agit?
Tanta sui quisnam signacula nominis auget?
Qualia censentur Principe digna bono.
Quid sibi & ornatus pomposæ Nobilitatis?
Quid uè equitum turnæ me speculante volunt?
Municipes cuinam deportant munera Ciues?
Vndè rosam lectam publica turba gerit?
Mirum portendat quid vel clementia Cœli?
Quid rutilans signet Phæbus in axe poli?
Vtq; lapis magnes trahit ad se ferrea quæq;,
Sic turbam præsens splendida pompa trahit,
Ergo quid est causæ? nobis, Paranymphe, referto,
Huius cura rei nam tibi iure data est?
Non est mortales, vidistis, rumor inanis,
Dum vexilla micant Stemmata culta suo.
Nomen inest voto, nobis si creditis, inquam,
Heroi illustri virgo Maria datur.
GUILHELMVS patriæ summus **BURGRAVIUS** ille,
Quem generosa colit nunc **ROSEBERGA DOMVS**.
Auspicijs lætis celebrat sponsalia sancta,
In sociam ducit magnanimamq; Ducem.
Neptis Bauariæ **DUCIS** eius chara propago
ANNAMARIAPIJ nominis omen habens.

At nunc ANNA MARIA rubens ROSA dicta ROSENSIS,
Qua roseum fragrans ceu rosa germen erit.
Cum ROSA sit generosa, ROSAM de rore ROSARVM
Progenerato, decus postq; tuere ROSAE.
Nominis vt vestri maneat quoq; fama perennis,
Vestraq; sit tandem prole beata domus.
Ergo huic connubio tu pande fores Hymenæe,
Hæc est illa dies dedita læticiæ.
Exultant qua mille viri, Proceresq; Ducesq;,
Nobilium gaudet qua numerosa cohors.
Ne quenquam illa dies lateat, date tympana pulsam,
Sint vt eadem omnes mente animoq; bono.
Qui potare cupit, Bacchus fert optima vina,
Nec non alma Ceres fercula mille parat.
Amplexus dulces conuiuis Nympha ministrat,
Et strepit alterno ducta chorea pede.
Si cui ludendum est, videat, vaga tetsera præsto est,
Si ductare choros, virginei, ecce, greges.
Doctus fert gnomas, AE nigmata, fortia fortis
Bella, rudis gannit, Tantalus ambit aquas.
Quò sua quenq; trahit, fertur, rapiturq; , cupido,
Naturæ sequitur propria quisq; suæ.
At (semel vt fatear verum) mens omnibus vna est
Læticiæ, solum sponfus id ipse cupit.
Gratius est Sponso nil, quàm sic viuere velle,
Virtus & præsens poscit vt alma dies.
An non Cæsareis sunt æquiparanda triumphis
Connubia hæc, celebrat quæ ROSE BERGA DOMVS?
O vtinam veniat lux optatissima tandem.
Qua sobolem propter gaudia lætus agat.

Viuite

Viuite Semidei, tu Illustris viuito, Sponse,
Perpetuos nobis Nestoreosq; dies.
ANNA sed Illustris Princeps, & Sponsa MARIA,
Longa Sybillarum tempora sospes agat.

Caspar Mensik
à Mensteyna &c.

AL IV D.

En iterum thalamos repetit ROSEBERGIUS heros
GUILHELMVS, patriæ gloria prima suæ:
Dum noua sponsa sibi, veteri de stirpe BADENSI
Conubio, stabili iungitur atq; fide.
Vnde nouem Musæ tædis gratantur ouantes
Ilius, & tacito hæc carmina corde promunt.
Nobilium decus, ac splendor, GUILHELME, baronum;
Et ROSEBERGIACAE firma columna, domus.
Qui facilè vincis proauos virtutibus omnes,
Tam celebri fama, quàm pietate pia.
Te decet hoccedie placidos attollere vultus,
Læticiæq; hilarem gaudia mille sequi.
Quo generosa tibi claro de sanguine nata,
Ducitur in thalamos ANNA MARIA tuos.
Quæ reliquas inter casto, roseoq; pudore
Emicat, vt rutilans sydus in arce poli.
Nulla tuam subeat tristis cunctatio mentem,
Aut dolor infelix, sollicitusq; timor.
Sed procul insomnes animo, procul abijce curas,
Et fruerè optato lætus amore diu.
Iam resonet nitidus, gratis concentibus æther,
Et repleat clangor compita lata tubæ.

KRV M-

KRVMLOVIAEQ; fremant arcis, noua tecta, vetustæ,
Belligerum, sedes quæ fuit antè Ducum.
Ecce quidem Virgo facie, vultuq; venusto
ANNA MARIANITENS, limina vestra petit.
Nobilium, procerumq; simul circumdata turmis,
Vndique virgineo & concomitata choro,
Ceumemorum custos LATONIA, per iuga Cynthij
Tripudians agili dum pede pulsat humum,
Quam dryades longo præcedunt, atq; sequuntur
Ordine fundentes dulce sub astra melos.
Hanc igitur, GVILHELME, tuam deducito in arcem,
Et festos lætus concelebrato dies.
Hæc etenim pulchra faciet te prole parentem,
Atque tuæ domui gaudia magna feret.
Cæsaris hinc primos numeraberis inter amicos,
Extollesque breui nomen ad astra tuum.
Nec te pœniteat virgo generosa BADENSIS,
Nuptam quòd tali contigit esse viro:
Nam licet illustri sis stemmate nata parentum,
Ducens à celsa nobilitate genus:
Est quoque de claro GVILHELMVS sanguine cretus,
VRSINAE stirpis vera propago manens,
Sed quia diuino fiunt connubia fato,
Hæc fato summi sunt quoque facta DEI:
Quòd rosa virgo, Rosæ GVILHELMO iungitur, atque
Heroi virgo quòd generosa datur.
Sic igitur iuncti, domino auxiliante mariti,
Viuite in augusto tempus in omne thoro.
Viuite concordēs, felices viuite semper,
Vestra liget summo flamine corda DEVS,

Nulla

Nulla dies vestros vnquam dissoluat amores,
Coniugij castus quos sociavit amor.
Sed lati, celeres multos durate per annos,
Vltima dum summum clausit hora diem.

M. Ioannes Kanha Prah.

A L I V D.

Iuppiter aurato nectus super æthera curru
Immensas spectat totius orbis opes.
Boiorum regni tamen est impensior illi
Cura, quòd hîc magnum cernat vbique decus.
Nam vini, frugumque ferax, Mauortia tellus:
Effundit largo cuncta metalla sinu.
Adde tot insignes veris virtutibus, atque
Ingenio celebres, diuitijsque viros.
Qui fortes, rigidi non tantum robore belli,
Sed quoque iudicio consilijque valent.
Illic religio cultusque DEI viget, illic
Legibus ornatur iusticiaque forum.
Ordo triplex quærit concordi pectore regni
Commoda, sic patriæ vultque prodesse suæ.
Huc igitur placidos vultus dum vertit & ora,
Ac vigili prudens lumine cuncta notat.
Tum secum: Video, quæ causa sit ordinis, inquit,
Et tantum regno prouenit vnde decus.
Est pius, atque suis iuste dat iura RODOLPHVS
Cæsar, & hos solito cordis amore fouet.
Illius peragunt partes, si quando recedit,
Præstantes vera nobilitate viri.
Quos numero ex omni seiunxerat ipse Baronum,
Atque suas etiam iussit obire vices.

inter eos primus magno præfulget honore,
VILHELMVS, genuit quem ROSEBERGA domus.
Difficilesque humeris, Atlas velut, ipse labores
Sustinet, ac Regis munia semper obit.
Huic aliquod Diuæ munus conferte merenti,
O Iuno, & tu cum Pallade, pulchra Venus.
Dignus is, vt magno à vobis ornetur honore,
Proque labore suo præmia grata ferat.
Tum Venus ante alias: Nihil hic Saturnia Iuno,
Nil etiam Pallas, quod dare possit, habet.
Diuitijs quoniam magnis & honoribus auctus,
Ante alios primum nunc tenet ille locum.
Estque etiam sapiens & pollet acumine mentis,
Vt Pylis vincat Nestoris eloquium.
At mihi cura ROSAE est vernantis maxima, quamuis
Spina olim nostrum læsit acuta pedem.
Sola habeo munus, quo gaudeat inclytus heros,
Quod recreet mœsti pectora, sola dabo.
Atque ROSAE sociabo ROSAM de stirpe Badensi,
Producat plures hortus vt iste rosas.
Iuppiter arridens: Verum, mea filia, dicis,
Non aliud donum gratius esse potest:
Quàm iuuenis coniunx, pia, casta, pudica, maritum
Quæ recreet verbis blanditijsque suum.
Quin facis hoc igitur, tuus vt VILHELMVS amore
Gaudeat & toto pectore lætus ouet.
Nam viduus multos mœret lugubriter annos,
Et successorem poscit habere sibi.
Tolle moras, fac quod dixi: sed vos quoque Diuæ
Muneribus sponsam condecoratis: ait.

Iamque

Iamq; Cupido facem iactat, iam virgo Badensis
ANNA MARIA nouo corda calore fouet.
Illa rosas riguis nequicquam quærit in hortis,
Nescia quam pectus poscat habere rosam.
Tandem Krumlouiam peramœna rosaria ad arcem
Audit Pæstani esse repleta rosis.
Huc animum, vultusq; suos conuertit & ora,
Ac tenui profert talia verba sono:
O ROSA purpureo Veneris decorata cruore
Salue, inter flores tu mihi sola places.
Quàm iucunda tuam commendat gratia formam?
O quæ virtutes sunt tibi? Quantus honos?
Gloria tu florum, sed & ô mea sola voluptas,
Tu nostrum recrea semper odore caput.
Nec minus exarsit VILHELMVS, cuspide læsus
Aurata, fixit quam pharetratus Amor.
Aduenit ergo dies optatus amantibus, illos
Vt cupidos tandem vincula sacra ligent.
Iamque thorum subeunt coniunctis mentibus vnum,
Et peragunt lætos cum pietate dies.
CHRISTE faue, nam sunt tibi vincla iugalia curæ,
Coniugibusq; nouis fer, precor, auxilium.
Innumeros viuant, heros VILHELMVS ad annos,
Et casti consors ANNA MARIA thori.
Producant prolem, sed quæ virtute parentes
Ac proauos referat moribus ingenuis.
Stet ROSEBERGA domus, ROSA cincta ferocibus vrsis
Diffundat ramos hîc & vbique suos.

M. Matthias Gryllus à Gryllorva.

F I N I S.

Cupido facit iactat iam virgo Bacchante
 Anna Maria deus tota calor sonat
 illa totis ignis non quae dicitur in horis
 Nihil quod dicitur non est in hoc mundo
 Tandem Kuntze in hoc mundo tota ad strem
 Audi P... ..
 Hac animam... ..
 O Rosa pulchra... ..
 Salus inter... ..
 Quis inuendit... ..
 O que virtus... ..
 Gloria... ..
 Nec minus ex... ..
 Agere... ..
 Adhuc... ..
 Laus... ..
 Christus... ..
 Coniungit... ..
 Iam... ..
 In celi... ..
 Pro... ..
 Ac... ..
 Sed... ..
 Illud... ..

